

Zeitschrift: Bulletin der Schweizerischen Akademie der Medizinischen Wissenschaften = Bulletin de l'Académie suisse des sciences médicales = Bollettino dell' Accademia svizzera delle scienze mediche

Herausgeber: Schweizerische Akademie der Medizinischen Wissenschaften

Band: 17 (1961)

Artikel: Sermo convivalis a praeside habitus

Autor: Löffler, W.

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-307488>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 01.05.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Sermo convivalis a praeside habitus

Consul confoederationis,
tu, qui sanitati urbis et orbis Bernensis praefectus es,
vosque omnes, qui adestis,

Liceat mihi hodie breviter Latine loqui – ut desint vires, tamen est laudanda voluntas –, quoniam consul confoederationis nuper decrevit, linguam Latinam studiosis medicinae artis necessariam esse. Quo pro decreto ex animo gratias ei habemus. Haud vana enim superbia medicos impulit, ut iuventutem suam ad studendam linguam Latinam adhortarentur. Sed laborem, quem quidem exiget lingua Latina discenda, iuvenibus necessariam utilemque putamus, ut ingenii animaeque vires eorum exerceantur.

Videmus igitur medicorum catervas prima in acie pugnantes impetum eorum, qui «res non verba» flagitantes linguam Latinam et simul educationem humaniorem aggressi sunt, fortiter sustinere. Auxiliarii nonnulli autem non solum tergum verterunt, sed etiam sagittis venenatis nos petunt. Sunt enim qui medicos ambitione, avaritia atque auri sacra fame moveri dicunt. Quas voces ineptas, invidiosas, pueriles repellimus. Sed haec hactenus.

Quodsi mihi festo illo saeculari universitatis Basiliensis licuisset collegas philosophorum ordinis alloqui, ita fere dixissem: O collegae liberalium artium, grammatici optimi maximi! Volete, quaeso, aures mihi praebere faventes. Vos imploro, quorum in disciplina ludi magistri futuri sunt. Nam in hoc certamine pro lingua Latina et contra linguam Latinam non solum paries proximus, verum etiam paries vester ipse ardet domusque vestra ipsa fundamentis suis commota et restituenda est. Addite ergo, oro atque obsecro, disciplinae vestrae novas vividasque docendi rationes. Tollite vetustiora! Memores este non Cicerones alteros creandos esse, immo ludi magistros ad docendum aptos, qui discipulis suis litteras, historiam, philosophiam, statuas sicut mores, vitam, virtutem, magnitudinem mundi antiqui re vera illustrare valeant. Bellum enim minime finitum est, non solum victoriam de iure reportavisse, sed etiam pacem de facto constituere opus est.

Linguam Latinam mortuam esse dicunt, qui linguam Britannicam hominibus aetatis nostrae opus esse iudicant. Attamen lingua Latina neque mortua est – nisi ludi magistri eam consilii expertes interficiunt – neque quemquam impedit, ne linguam Britannicam maxime re vera necessariam discat. Immo illa lingua Latina saepe vituperata et linguae Britannicae discendae adiumento non parvo est. Nemo enim nescit linguam Britannicam originem suam ex parte etiam a Latina ducere. Itaque barbaris modo barbaro dicere soleo: Si tibi verba Britannica desunt, verba Latina vel Graeca decerpta et in os tuum congesta «mastica» magna vi, dum exoriantur ex ore tuo verba Britannica praeparata ad directum usum: «prepared for direct use». Sed satis in barbaros.

Ut dicendi finem nunc faciam: Ceterum censeo linguam Latinam nullo modo mortuam minimeque ergo sepeliendam esse. Vitia enim temporis nostri gravissima sunt, quae vocabulo artis medicinae «infantilismum» atque «puerilismum» appellare solemus. Quibus vero evitandis et curandis vitiis nihil magis idoneum videtur quam spiritus antiquorum temporum.

Quae argumenta saepe dicta iterum dico, iterum iterum dicam.

Dixi.

W. Löffler

